



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**COLLATIO-||NVM SACRARVM|| LIBRI VIII.|| Tilmanni  
Bredenbachij S. Th. D.||**

**Bredenbach, Tilmann**

**Coloniae Agrippinae, 1592**

**VD16 B 7378**

38. De felici transitu seruuli parlytici, eius eleemosynis & patientia, & fragrantissimo odore in morte eius.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65002)

968 COLLATION. SACRAR.

de S. Furseo, (lib 3. cap. 19. histor. Anglic.) qui cū  
 acerrimas dæmonū aecufationes sustinuillet,  
 tormenta quoque malorū, & gaudia beatorū  
 conspexisset, diuino iussu huic vitæ restitutus,  
 ingemiscens deplorabat magnitudinē huma-  
 næ stultitiæ, arduumque & difficilem transi-  
 tum, immensamq; felicitatem remuneratio-  
 nis peruenientium ad beatas sedes. Hæc si cre-  
 bro considerarent homines, si iuxta Propheta,  
 saperent & intelligerēt, ac nouissima provide-  
 rent, non tam cæco amore caducis momēta-  
 neisque huius mundi illecebris inhiarēt. Non  
 ineptè olim preposteris hominū cogitationes  
 & studia risit Satyrus, O curas hominum, o  
 quantū est in rebus inane. Aptissimè verò do-  
 ctissimus ille ac piensissimus Adamus. O pter-  
 nitas, inquit, quam rarò versaris in mentibus  
 hominum. Et idem alibi, Nihil ad superbiam, &  
 cupiditatis vitiorumque omniū euersionem  
 æquè facit, vt meditatio mortis, & eorum que  
 mortem sequitur. Et quemadmodum nemo  
 quæ gehennam ob oculos habet, gehennam in-  
 cidere, ita nemo qui gehennam è mente se po-  
 nit, gehennam euadere poterit. Insuauis qui-  
 dem hæc est meditatio, inquit, sed quid tum?  
 Etenim & pharmaca insuauia sunt, non tamē  
 abhorremus, eò quòd utilitatem adferant.

D. Greg. Mag. lib. 4. Dialo. cap. 14. & homilia 15. in  
 Euang. De felici transitu seruuli Paralytici, eius elec-  
 mosynis & patientia, & fragrantissimo odore in  
 morte eius. CAL.

**I**N porticu, quæ euntibus ad Ecclesiam B. Clementis est peruia, fuit quidam seruus nomine, quem multi vestrum mecum noverunt, rebus pauper, meritis diues, quem longa egritudo dissoluerat. Nam à primæua ætate vsque ad finem, vitæ paralyticus iacebat, quid dicam? quia stare non poterat, qui nunquam in lecto suo surgere vel ad sedendum valebar, nunquã manum suam ad os ducere, nunquã se potuit in latus aliud declinare. Huic ad seruiendum mater cum fratre aderat, & quicquid ex eleemosyna potuisset accipere, hoc eorum manibus pauperibus erogabat. Nequaquam literas nouerat, sed scripturæ sacræ sibi codices emerat, & religiosos quosq; in hospitalitatem suscipiēs, horas eorã legere sine intermissione faciebat. Factumq; est vt quantum ad mensurã propriã attinet, plenè sacram scripturam disceret, cum, sicut dixit, literas penitus ignoraret. Studebat in dolore semper gratias agere, hymnis Deo & laudibus diebus ac noctibus vacare. Sed cum iam tempus esset, vt tanta eius patientia remunerari debuisset, membrorum dolor ad vitalia redijt. Cumque iam se morti proximum agnouit, peregrinos viros atq; in hospitalitate susceptos admonuit vt surgent, & cum eo Psalmos pro expectatione exitus sui decantarent. Cumque cum eis & ipse moriens psalleret, voces psallentium repente

compescuit, cum terrore magni clamoris dicens; Tacete, nunquid non auditis quantæ resonant laudes in cælo? Cumque ad easdem laudes, quas intus audierat, aurē eordis intenderet, sancta illa anima carne soluta est. Sed exeunte illa, tanta illic fragrantia odoris adpersa est, ut omnes illi qui aderant, inestimabili suauitate replerentur: ita ut per hoc patenter agnoscerent, quod eam laude quas audierat, in cælo suscepissent. Cui rei monachus noster interfuit, qui nunc usque uiuit, & cum magno fletu attestari solet, quia quousque corpus eius sepulturæ traderent, ab eorum naribus odoris illius fragrantia non recessit. Ecce quo sine ex hac vita migravit, qui in hac vita equanimiter flagella tolerauit. Iuxta vocem ergo Dominicam, bona terra fructum per patientiam reddidit, quæ exarata discipline vomere, ad remunerationis segetem peruenit.

*Ex libro trium spiritualium virorum Libellus Fratrum sancti Vincentij Metensis. De admirabili visione Vguetini quondam Canonici.*

## CAP. XXXIX.

**V**isio Vguetini prius Canonici, postea monachi; quam ostendit illi Deus per Angelum, & quam nos fratres eius ipso narrante scripsimus, serui sancti Vincentij Metensis. Cum prædictus frater die sabbati cum aliquibus fratribus nostris portionem ad providendam salutem corporis accepisset: cæteris

cam